

DE FIGVRIS CONIECTANEA

I oculis recipi lucem non auribus ne vergentis quidem latinitatis incognitum fuit versificatoribus nec profecto credibile Damasum id latuisse cum Paulum apostolum celebrandum sibi sumeret (ep. 2, 8 Ihm). ac tamen ille quasi nihil curans quid sanxerit natura dicit haec: *auribus ut domini vocem lucemque recepit | composuit mores Christi praecepta secutus.* αἰσθησιν videlicet ἀντὶ αἰσθήσεως posuit δ καὶ μετάληψις αἰσθήσεως λέγεται¹. cuius sive tropi² sive schematis³ sive figurae⁴ sive so-locismi⁵ varietatem a Lobeckio iam pridem expositam et illustratam⁶ non est quod retractemus nec Damasi mentionem fecissem nisi cumulare schemata strenuo libuisset epigrammatario. nam audi sis Lucam Act. 9, 3 καὶ ἔξαίφνης περιήστραψεν αὐτὸν φῶς ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ. 4 καὶ πεσὼν ἐπὶ τὴν γῆν ἤκουσε φωνὴν λέγουσαν αὐτῷ· Σαούλ, Σαούλ, τί με διώκεις; prius igitur fulgurationem oculis recepit, recepta vocem persecutor audivit attonitus. quem rerum ordinem Damasus cum inverteret alterum figurati

¹ schol. Eur. Hec. 174 cf. schol. Δ 343 Λ 390. 532 O 252 Aesch. Prom. 115 Sept. 101 Donat. ad Ter. Eun. 454.

² Δ 343 Aristarchus διπλῆ notavit ὅτι ἀκούαζέσθον εἶπε τροπικῶς ἀντὶ τοῦ ἐπαισθάνεσθαι, ἐπεὶ ἡ ἀκοὴ εἶδος ἐστὶν αἰσθήσεως, καὶ τὸ 'οὐδὲ πληγῆς αἰόντες' (Λ 532). est igitur μεταφορὰ . . . ἀπὸ τοῦ γένους ἐπὶ εἶδος quam dicit Arist. Poet. 21; cf. schol. O 252 Ven. B ≡ 28.

³ erant qui schema quoque tropis adscriberent; cf. Rhet. gr. I 267, 13 III 226, 6. 255, 9 Sp.

⁴ Quint. IX 1, 9 *tam enim translatis verbis quam propriis figuratur oratio.* Serv. ad Verg. A. V 120 figuram a schemate distinguit.

⁵ Arist. Rhet. III 5 ἔτι τάδε ποιεῖ σολοικίζειν τὸ μὴ ἀποδιδόναι, ἐὰν μὴ ἐπιζευγνῆς ἀμφοῖν δ ἀρμόττει· οἶον ἢ ψόφον ἢ χρῶμα, τὸ μὲν ἰδῶν οὐ κοινόν, τὸ δ' αἰσθόμενος κοινόν; cf. Top. I 15.

⁶ Ῥηματικόν p. 329 sqq. cf. Leo ad Cop. 9 Langen ad Val. Fl. VII 586 (Leo, Gött. gel. Anz. 1897 p. 954) Norden ad Verg. A. VI 256.

sermonis ἠλογημένον excidere stilo passus est, πρωθύστερον dico quod aliis sive ὕστερον πρότερον audit sive ὕστερολογία. quae binorum troporum schematumve copulatio non ita frequens nisi fallor nec in graecis obvenit nec in latinis. conferre licet nobilissimum Aeschyleae dictionis exemplum Sept. 101 κτύπον δέδορκα πάταγος οὐχ ἑνός δορός. et quidem κτύπον δέδορκα¹ per metalepsin iam scholiastes intellexit (μετήγαγε τὰς αἰσθήσεις πρὸς τὸ ἔναργέστερον) sed qui subinde memoratur strepitus hastarum suum requirit verbum ne curta claudicet oratio: κτύπον δέδορκα πάταγος οὐχ ἑνός δορός <ἀκούεται>². hinc quoque schematum artificiosa gignitur duplicitas eo tamen a Damasiana licentia distans quod metalepsi αἰσθήσεως³ non prothysteron committitur sed syllepsis.

II prothysteron iure tum agnoscitur quando ὁ δεῖ πρῶτον λέγειν ὕστερόν τις ἐπιφέρει (Rhet. gr. III 225, 26 Sp. cf. 255, 14). quae hyperbati⁴ species sat usitata graecis⁵ et ne

¹ Aetn. 277 *cernere sacros | Aetnaei montis fremitus . . .*

² Cf. Schuetzii notam.

³ e germanica poesi Gerber, Die Sprache als Kunst I² 155. 315 exempla quaedam huius schematis collegit; subicio qualia legenti fors obtulit. in odis Klopstockii haec observantur: (Kaiser Heinrich): Denn Karl | Liess, ach, umsonst, der Barden Kriegshorn | Tönen dem Auge. sublimius quam simplicius vates carminum antiquorum syllogen denotat Caroli Magni iussu confectam. (Hermann): Hast du sie gehört, o Hela, | Meine zürnende Thräne? | Hast du ihr Rufen gehört, | Hela, Vergelterin? hoc est τὴν ὄψιν ἀκοῆν ποιεῖν ut Pseudolongini verbis abutar. (Wissbegierde): O welche inhaltvollen Worte | Gottes, der redete, sah mein Auge! κατὰ μεταφορὰν εἴρηται quandoquidem hominis visus verba divina quasi caeli nocturni sideribus scripta cernit. (Eislauf): Sonst späht dein Ohr ja alles . . . cf. κτύπον δέδορκα. inter recentiores Mörike figurarum elegantissimis eminet: (Die schöne Buche): Un-ergründlicher Ruh' lauschte mein innerer Sinn. (Um Mitternacht): Ihr klingt des Himmels Bläue süsser noch. facere non possum quin adscribam felicissimam novellae poetriae metalepsin quam nuper me legisse memini: Sie lächeln erst, wenn sie dich schweigen hören . . . geliebte Nacht.

⁴ rhetoribus est ὑπερβατὸν ἐν πράγματι: ἐν πράγματι δέ, οἷον ἢ θρέψασά με καὶ γεννησαμένη (III 48, 16 Sp.). πράγματι δέ, ὅταν τὸ πρῶτον γινόμενον δεύτερον τάξῃ ὁ ποιητής, οἷον 'τὰς μὲν ἄρα θρέψασα τεκοῦσά τε'. καὶ 'ἢ δ' ἐπεὶ εἰσῆλθεν καὶ ὑπέρβαλε λάϊνον οὐδόν'. ἀντὶ τοῦ πρότερον ὑπέρβη, καὶ τότε εἰσῆλθεν (ib. 238, 24).

⁵ cf. J. Classen, Beob. üb. d. hom. Sprachgebr. p. 189 Kühner, Gr. Gr. II³ 603 Boldt, De lib. ling. gr. et lat. coll. verb. p. 179 Page, Class. rev. VIII 203.

latinis¹ quidem contempta sicut veterum interpretum² ita recentiorum³ advertit observantiam quo factum est ut larga nunc copia liceat uti nobis exemplorum undique congestorum. quae repetere hic quamquam non est in animo praetermissa tamen et secretiora quaedam colligere quasi racemando nec supervacanei fore laboris spero nec ingrati.

quaerenti Menedemo (Ter. Heaut. 429): *numquid nam de meo gnato audivisti, Chremes? ille valet atque vivit.* quod esse hysteron proteron scite Calphurnius monuit. sed praeiverat Plautus Trin. 773 *illum bene gerere rem et valere et vivere*⁴, multis autem saeculis post Prudentius eundem soloecismum admisit Perist. V 85 *norunt et ipsi ac sentiunt | pollere Christum et vivere.*

Prudentio vicinus aetate praestantior tamen ingenio Sidonius vereor ne plus quam par fuerit licentiae vindicaverit cum Anthemium venatorem fingeret perversum. huic ut ait laudator c. 2, 144 ludus erat *inventas agitare feras et fronde latentes | quaerere . . .*

¹ exempla prisci sermonis enotarunt Wölfflin, Sitzungsber. d. M. Ak. phil.-hist. Kl. 1890 I 305 Hauler, Arch. f. l. Lexicogr. V 578 Boldt p. 179, 1.

² cf. schol. δ 411 ε 90 schol. Eur. Hec. 91. 266. 762. 947. Or. 302. 578 Ph. 887. Serv. ad Verg. G. I 178. 309 A. I 69. 179. 264 III 300. 589 IV 14. 130 VII 122 VIII 85. 201. 611 X 256 XI 191. latiore sensu hystero-logica notantur ad A. I 78. 307 V 70. 236 VIII 593 IX 489. 562. non ὑπερβατόν ἐν πράγματι sed verborum traiectionem spectant schol. ad E. 6, 74 (cf. Forbiger, Conington ad h. l.) A. VI 171 X 794. 845. secundum fabulam hystero-logia E. 6, 42 (hyperthesis, cf. schol. Eur. Med. I Or. 1009). nec defuisse controversias notae testantur ad E. 6, 74 G. I 267 A. II 11 IV 33 VII 813 X 314. naturalem ordinem a poeta servatum laudat scholiastes ad A. I 720. — ad hyperbaton id quoque schema Homericum recedit quod Aristarchus observavit: Ὅμηρος δὲ πρὸς τὸ δεύτερον πρότερον ἀπαντᾷ (B 629 cf. schol. β 42 Lehrs, Arist.³ p. 104 Leidenroth, Ind. gramm. ad schol. Ven. A . . . spec. p. 32 sqq.).

³ cf. Heinze ad Lucr. III 787 Forbiger ad Verg. A. III 622 Norden, A. VI app. II p. 372 Kiessling-Heinze ad Hor. C. III 16, 23 Orelli-Hischfelder ad Hor. Sat. II 3, 293. de prosae consuetudine cf. quos profert Forbiger l. c. Kühner, Lat. Gr. II 1080 Spitta, De Taciti in comp. enunt. rat. p. 31 Wölfflin et Miodoński in indice Bell. Afr. s. v. ὕστ. πρότ.

⁴ differt hinc quod Palaestrio Plautinus domo militis cedens conservis exoptat *bene valete et vivite* (Mil. 1340); nos quoque dicimus 'bleibt gesund und lasst es euch gut gehen'. nec Andr. 889 *habeat valeat vivat cum illa* vel similia hoc in genere sunt.

apparet a Sidonio iustum rerum ordinem non minus inversum quam invertit in re simillima Wolfram noster de Herzeloida memorans (119, 2): ir bûliute und ir enken | die hiez sie vaste gâhen), vogeles wûrgn unde vâhen. nimirum si quis aviculas enecare gestit is aucupatus sit prius oportet. quod ita se habere nec profecto dulciloquum fugit lugdunensem¹ nec 'gigantum' quos ille tam moleste ferebat nepotem; sed sanctas venationis leges metrorum ille constrictus hederis neglexit, hic rimi quem nunc vocant posthabuit commodo. nihilominus veniam dabimus utrique ne forte morosiores ipso videamur Quintiliano².

iam ad vigentem litterarum aetatem convertimur libentes, revisuri tamen illos posteriores prout sese locus obtulerit. Mor. 24 *advocat inde manus operi partitus utrimque: | laeva ministerio, dextra est intenta labori. | haec rotat adsiduum gyris et concitat orbem* (*tunsa Ceres silicum rapido decurrit ab ictu*), | *interdum fessa succedit laeva sorori | alternatque vices.* bonus Simulus dextra molam versat; laeva tum demum ad ministerium advocatur cum dextra laboris adsiduitate fessa requiem flagitat. prius igitur dextrae convenit, succedit sinistrae munus. idem schema v. 26 continet: *trusatur orbis vel molaris superior ut gyris rotetur vel circumagatur.*

Simulus postquam ex hortuli copiis quattuor illa moreti faciendi condimenta collegit 92 *laetum consedit ad ignem | et clara famulam poscit mortaria voce. | singula tum capitum nodoso cortice nudat | et summis spoliat coriis contemptaque passim | spargit humi atque abicit.* apparet contempta prius abicienda fuisse quam humi spargerentur.

ex Valerio Flacco Gebbing³ hystorologica non enotavit nisi I 94 sq. III 11. 72 sq. VI 341 sq. IV 168 VI 366. sed exstant plura: III 283 *lacrimis ac mentibus aegri | stant Minyae . . . ὕστερον*

¹ Sid. c. 5, 90 sqq. apri capturam alacriter describit nec minus belle 7, 20 sqq. aucupium ope falconum institutum. ib. 187 sqq. de ferarum investigatione loquitur. ep. VIII 10, 24 *per decipulum male blandientis eloquii* recte gloss. cod. Digbei. 172 explicat 'decipulam' romanice 'calchetrappe' qualis est illa in qua aves capiuntur (Anecd. Oxon. class. ser. I 5 p. 59, 5). adde ep. V 17, 10 v. 2.

² I 8, 14 . . . *poetae (quibus quia plerumque metro inservire coguntur adeo ignoscitur ut vitia ipsa aliis in carmine appellationibus nominentur; metaplasmos enim et schematizatos et schemata ut dixi vocamus et laudem virtutis necessitati damus).*

³ De C. Val. Fl. tropis et figuris p. 38.

πρότερον statuo quoniam ex concepta mentis aegritudine lacrimae soleant oboriri. simul intercedit zeugma: maerentes stant illi fletu perfusi. VI 443 *mutat agros fluviumque vias*: 'fluviorum viis mutatis etiam forma agrorum mutatur' Langen. VII 229 *qua redit itque dies*: contrarium ordinem et ratio commendat et usus stabilivit; vide quae Forbiger ad Verg. A. IV 438 Langen ad Val. Fl. I 725 congesserunt.

huc rettulerim Aetn. 261 *torrentur flamma terrae ferroque domantur*: primum effodiuntur metalla ferramentis, effosa torrentur flamma hoc est in fornacibus (481) coquuntur vel liquantur donec *exsudent pretium* (547). recurrit schema v. 262 sq. *dum sese pretio redimant verumque professae | tum demum vilesque iacent inopesque relictae*. neque enim ante viles relinquuntur scoriae quam omnibus opibus iacent exutae.

non raro sepulchrorum tituli viatorem admonent praetereuntem ut moretur paulisper dum litteras insculptas legerit. sic A. L. II 82, 1 B. *hospes resiste et tumultum contempla meum, | mora[re gressu]m, litteras nos[tras lege 500, 8 subsiste viator, perlege 1533, 1 hospes, consiste et lege 1537, 1 siste parumper . . . fataque acerba lege 1545, 1 hospes resi]ste et titulum perscriptum lege*. hic est naturalis ordo¹ quo nonnumquam inverso figuratum oratio colorem accipit: 76, 1 *hospes resiste et tumultu[m] contempla meum, | lege et moraris . . . 77, 1 quamvis la[ss]e viator, rogo ne graveris et tumultum contempla meum, | lege et moraris, iam aliquid resciveris*.

constat nunc quidem² quam saepe Vergilius orationem inverterit; uno tamen loco data providit opera ne permutaret ordinem, hos dico eclogae VI versus: *quo cursu deserta petiverit et quibus ante | infelix sua tecta super volitaverit alis* (80 sq.). cautum est interiecta particula ne prothysteron fieret. neque igitur cum Heynio iungemus *ante sua tecta*³ neque mutabimus *alle scribentes* ex Ribbeckii coniectura.

¹ Quint. IX 4, 23 cf. Lehrs, Qu. ep. p. 81 sqq. Lobeck, Paralip. I 63 sqq.

² exempli gratia vide qualia Hofman-Peerlkamp osor ille figurarum ad Verg. A. IX 340 excogitaverit. ait ille 'nec *mandit trahitque* est ὄστερον πρότερον, ut neque *mactat trahitque* (Val. Fl. II 230). pulchre subiungitur *trahitque*, quod est prae furore et fame nescientium, quid prius facturi sint'. quod argutius quam verius puto. solet enim leo trahere praedam arreptam in aliquod latibulum ubi tutus mandat; Lemniades autem viros pressos toris abstrahunt (*toris κοινόν*), abstractos iugulant.

³ Ov. Met. II 490 huc vocari non debebat.

qui Cirin composuit priorum imitator in consimili re describenda hysterolegiam alio vitavit artificio: 48 *impia prodigiis ut quondam exterrita amoris | Scylla novos avium sublimis in aere coetus | viderit et tenui conscendens aethera pinna | caeruleis sua tecta super volitaverit alis . . . conscendens* additum ne nimis turbaretur legitimus rerum ordo¹. hactenus super hysterolegiis².

¹ cf. Leo, Herm. XXXVII 35.

² in rem videtur his quoque subiungere quaedam a germanicis poetis inversa quippe qui genuinam naturae prae se ferentes simplicitatem apertius ostendant quam latini quibus affectionibus permoti sermonem figuraverint. interdum id priorem in oratione locum occupat quod qualibet de causa praevalet in cogitatione. hinc Gêrnôt Chunnos alloquitur (2096, 3): slâhet uns ellenden und lât uns zuo z'iu gân | hin nider an die wite . . . aegre profecto fieri potuit ut prius caederentur quam essent foras egressi; tamen cum obversetur animo certa venturae mortis imago lingua praemittit quod menti gravius videtur. P. Flemming: Ihm hab ich mich ergeben, | zu sterben und zu leben . . . qui meminert ita cecinisse poetam cum iter pararet persicum ex animo fluxisse prothysteron non negabit. in Schilleri hilarotragoedia virago metuens ne nimium adolescentis acumen iam bis probatum tertii quoque discutiat aenigmatis tenebras reducto velamine haec intonat: Sieh' her und bleibe deiner Sinne Meister! | Stirb oder nenne mir das Ding. ratio hunc ordinem postulat: 'aut indica rem aut morere'. sed proci mortem durities animi praeoptat. ne hoc quidem temere figuravit poeta quod exclamat adolescens pro puella vitam in discrimen commissurus: Tod oder Turandot! fluctuat ille nimirum inter spem metumque; metu tamen superante praeripit sermo quod anxius praesagit animus. audimus in suavissimo Mozarti cantico: Lass mich sterben, Gott der Liebe, | Oder lindre meinen Schmerz! id eandem habet excusationem nec in aliud genus coniecerim schemata Goethii: Und vertrauet, scheiternd oder landend, | Seinen Göttern vel Schenkendorffii: Untergang gilt's oder Sieg vel Goethii γνῶμην: Harte Bissen giebt es zu kauen: | Wir müssen erwürgen oder sie verdauen. hic illic fit ut ordine mutato praecedat quod loquentis plus interest. ita H. Sachs (II 175 Arnold) satellitem nescioquem de domino querentem inducit: Er helt nichts, thuet uns viel zusagen. omnino si quid est maioris momenti priorem sibi locum vindicat: Am 21 sten August so eben | kam ein Spion bei Sturm und Regen, | schwurs dem Prinzen und zeigt ihm an . . . in alio carmine populari (Würzburger Städtekrieg; cf. v. Liliencron, Hist. Volksl. I 175) nuntius urbium foederatarum regem Wencislaum his alloquitur: ich bit' ūr küniglich genade, | und bin geheissen Fritz Schade (v. 769); hanc devotio figuram peperit. rarius boni poetae naturalem idcirco mutant ordinem ut clausulae versuum inter se consonent. hoc peccavit R. Wagner in carmine quod Glasenapp omisit: Und nun, ihr freien Bürger, senkt die Fahnen, | Schwört bei

III nunc praeverteimur ad *syllepsin* quam adiunctam metalepsi supra deprehendimus. Aristarchus talia συλληπτικῶς accipere voluit qualia sunt K 349 ὅτι τοῦ Ὀδυσσεως εἰπόντος μόνου εἶπεν συλληπτικῶς ὡς ἄρα φωνήσαντε (cf. schol. Townl.). atque Didymus¹ καὶ θαυμαστὸν οὐδὲν inquit εἰ Ὀδυσσεως εἰπόντος μόνου συλληβήδην ἔφη ὡς ἄρα φωνήσαντε. σύνηθες γὰρ αὐτῷ τὸ τοιοῦτο. legimus igitur signum appictum ad Λ 328 ὅτι συλληπτικῶς εἶρηκεν ἑλέτην . . . ἔστι δὲ Διομήδης μόνος ὁ ἀνελῶν². quibuscum concinens Greg. Cor. (Rhet. gr. III 224, 13 Sp.) συλληπτικά dicit οἶον Ὀδυσσεὺς περὶ τῆς ἀναιρέσεως Δόλωνος λέγει Νέστορι τὸν τρισκαιδέκατον σκόπον εἶλομεν, καίτοι τοῦ Διομήδους μόνον αὐτὸν ἀνελόντος . . . 18 τὸ μὲν ὑπόδειγμα τοῦ ἐνὸς ἔχει πρὸς ἓνα τὴν σύλληψιν· ἀλλαχοῦ δὲ ἔστιν ἃ συλλαμβάνει ἓνα πρὸς πολλούς, ὡς ἔχει τὰ ὑπὸ Θεορίτου λεγόμενα πρὸς Ἀγαμέμνονα πλείαι . . . εὐτ' ἂν πολυίεθρον ἔλωμεν (B 226—228). συγκαταριθμεῖ γὰρ ἑαυτὸν τοῖς ἀριστεύουσιν ἀσθενῆς καὶ οὐδαμινὸς τυγχάνων; cf. schol. Eur. Or. 817 καὶ σύλληψις οὖν ὁ τρόπος³ τὸ γὰρ ἑτέρῳ συμβᾶν κατ' ἀμφοτέρων ἔταξεν. ad I 584 πολλὰ δὲ τόνδε κασίγηται καὶ πότνια μήτηρ | ἑλλίσσονθ'· ὁ δὲ μᾶλλον ἀναίνετο . . . Didymus⁴: κατὰ τὸ θηλυκὸν κασίγηται αἱ Ἀριστάρχου. ἔχει δὲ λόγον καὶ ἡ διὰ τοῦ ὀ· κατὰ γὰρ Ὀμηρον πλείους εἰσὶν ἀδελφοὶ τῷ Μελεάγρῳ· οὐ γὰρ ἔτ' Οἰνῆος μεγαλήτορος υἱέες ἦσαν, | οὐδ' ἄρ' ἔτ' αὐτὸς ἔην, θάνε δὲ Ξανθὸς

den frischen Hügeln, hebt die Rechte: | Zu dulden nicht mehr Herrn und Knechte . . . servavit ordinem E. M. Arndt: Hebt das Herz! Hebt die Hand! Schwört für die gerechte Sache! ut finem faciam sat habeo duos addere prae ceteris mihi dilectos quos tamen soloecismi vix liceat absolvere: Eichendorff: Bald mächt'ger und bald leise | In jeder guten Stund' | Geht diese Waldesweise | Mir durch der Seele Grund. Mörike: Das uralte alte Schlummerlied — | Sie achtet's nicht, sie ist es müd' . . . contrarium ordinem ἢ καθωμυλημένη συνήθεια flagitat nec sine causa. namque decrescit oratio potius quam insurgit ubi talia retrorsum enuntiantur; cf. Quintil. IX 4, 23.

¹ Ludwich, Arist. hom. Textkritik I 317, 3.

² Kühner, Gr. Gr. II³ 571 Pind. O I 88 ἔλεν δ' Οἰνομόου βίαν παρθένον τε σύνευνον N X 25 (cf. Eur. Iph. T. 279 ἔδοξε) figurata negat. fuisse qui secus iudicarent et haec scholia docent et Townl. Λ 328 schol. Eur. Andr. 106. cf. Langen ad Val. Fl. I 599 *commenta* III, 53 *cadunt*.

³ P 492 ἔστιν οὖν ὁ τρόπος συλληπτικός. rhetores partim tropis *syllepsin* adscribunt partim figuris.

⁴ Ludwich l. c. I 308, 12.

Μελέαγρος¹· καὶ συλληπτικῶς μετὰ τῶν ἀρσένων καὶ τὰς ἀδελφὰς ἀκουστέον Γόργην καὶ Δηιάνειραν. non inepte Didymus lectionem ab Aristarcho reiectam ex ipsis schematologia defendit. ad Δ 540 Aristonico teste signum positum ὅτι διέσταλκε τὸ οὐτάσαι καὶ τὸ βαλεῖν nam 'οὐτάσαι' ἔγγυς, 'βαλεῖν' πόρρωθεν (schol. N 764 Ven. B Townl. Ξ 424¹). hinc notavit vir sollertissimus Λ 659 ὅτι συλληπτικῶς τὸ κατ' ἀμφοτέρων κεκοινοποίηκεν· οὐ γὰρ οἱ αὐτοὶ βέβληνται καὶ οὐτασμένοι εἰσίν. haec observatione nituntur schol. N 782 Ξ 28. 63. 128. 379. Π 24 Townl. Λ 659 et habet aliquid cognati schol. N 761 ὅτι συλληπτικῶς ἐπὶ τῶν τετραμμένων καὶ τῶν ἀπολωλότων· οὐ πάμπαν μὲν γὰρ ἀπήμονες οἱ τραυματῖαι, οὐκ ἀνόλεθροι δὲ οἱ τετελευτηκότες quam ταχίστην σύλληψιν laudant recentiores (Ven. B Townl.). idem Ξ 28 ὅσοι βεβλήατο χαλκῶ per syllepsin intellegi vetant εἶδος ἀντὶ γένους accipientes ἀντὶ τοῦ ὅσοι τετραμμένοι ἦσαν. T 49 ἔχει ἐρειδομένῳ propterea notatum signo fertur quia solus Diomedes τὸν πόδα τετραμμένος ὑπέρεισμα ἔχει τὸ δόρυ². sed mirum esset si participium illud σκάζοντε quod antecedit in v. 47 diligentiam Aristarchi plane fugisset. immo deperisse notam aliquam putaverim collatis eis quae Herodianus de syllepsi praecipit (Rhet. gr. III 100, 6 Sp.): σύλληψις δὲ ὅταν τὸ τῷ ἑτέρῳ συμβεβηκὸς κἀπὶ θατέρου λαμβάνηται οἷον 'τῷ δὲ δὺν σκάζοντε βάτην Ἄρεος θεράποντε, | Τυδεΐδης τε μενέπτολεμος καὶ δῖος Ὀδυσσεύς'. πιθανὸν γὰρ ἦν αὐτῶν τὸν ἕτερον σκάζειν, τὸν κατὰ τοῦ ταρσοῦ τετραμμένον³. haec Aristarcheam doctrinam prae se ferunt parum intellectam nec est improbable commentarium e quattuor grammaticorum libris contextum ad manum Herodiano fuisse⁴. accedit quod scitissime rem expedit schol. Townl. T 47 καὶ τῷ Ὀδυσσεῖ ἢ πλευρὰ ἐμπόδιός ἐστι τετραμμένῳ. B 641 sq. Zenodotus damnavit ἴσως ὑποπτεύσας ut opinatur Aristonicus τὸν Μελέαγρον κεχωρίσθαι τῶν Οἰνέως παίδων. Herodianus et hanc syllepsin dicit (III 100, 21 Sp.), Aristonicus contra sincero iudicio ductus εἴρηται δὲ inquit ἔξ ὀνόματος κατ' ἐξοχὴν, καθάπερ ἐπὶ τοῦ 'Ζεὺς δ' ἐπεῖ

¹ cf. Lehrs, Arist.³ p. 52 sqq.

² hic tamen disceptabant ἢ διπλῆ syllepsin indicaret an μυκτηρισμόν.

³ cf. III 158, 8. 202, 24. 211, 1. 248, 29 Sp.

⁴ cf. R. Müller, Herm. XXXIX 454 sq. 460. Herodianus (III 100, 12 Sp.) per syllepsin intellegit I 5 Βορρῆς καὶ Ζέφυρος, τῷτε Θρήκηθεν ἀητον (Lehrs, Arist.³ p. 376) et legimus in schol. Ven. A οἱ δὲ φασιν ὅτι συλληπτικῶς πέφρακε· τὸ γὰρ ἑτέρῳ συμβεβηκὸς καθ' ἑκατέρων κεῖται· μόνος γὰρ ὁ Βορέας ἀπὸ Θράκης πνεῖ.

σὺν Τρωάς τε καὶ Ἔκτορα (N 1). καὶ γὰρ ὁ Ἔκτωρ Τρῶς ἦν. ceterum cf. schol. Δ 343. P 492. Ψ 306 sq. θ 224. π 3.

ab illa quam modo cognovimus Aristarchea norma discrepant aliquantum quae scholiastes συλληπτικῶς interpretatur ζ 2 ὕπνω καὶ καμάτῳ ἀρημένος . . . ὑπὸ μὲν γὰρ τοῦ καμάτου βέβλαπτο, ὑπὸ δὲ τοῦ ὕπνου οὐκέτι vel θ 61 τοὺς δέρον· συλληπτικῶς. σύες γὰρ οὐκ ἐκδέρονται. quibus consona latini tradunt: Rufinianus qui fertur (Rhet. lat. min. p. 48,10 Halm) σύλληψις inquit *est cum duabus diversisque sententiis et rebus unum datur verbum minime utrisque conveniens ut: Inclusos utero Danaos et pinea furtim | Laxat claustra Sinon* (A. II 258). *Laxat enim et ad Danaos referri non potest sicut ad claustra . . . Haec latine dicitur conceptio.* Serv. ad Verg. G. III 115 *'gyrosque dedere': pro 'docuere'. aliter enim 'frena dedere' et aliter 'gyros' et est syllepsis, cum aliquid assumitur quod dictum supra non est.* item syllepsin statuit ad G. I 93 A. V 619. haec autem zeugmata¹ sunt ut nunc dicere consuevimus appellatione ne veteribus quidem inusitata²; v. schol. Eur. Andr. 106 Hee. 867. Serv. ad. A. III 359 IV 131 ubi zeugma nuncupatur quae figura plerumque syllepsis audit. cuius indolem non omnibus aequè perspectam fuisse Hygini demonstrant Gelliique nugae (V 8). hoc tamen memoratu dignum ad A 531 ἡ μὲν ἔπειτα | εἰς ἄλλα ἄλτο βαθείαν . . . Ζεὺς

¹ Lobeck ad Ai. 1035 Nitzsch ad ζ 175 sqq. ι 166 Forbiger ad Verg. G. I 92 A. VII 187 Mehlhorn, schem. ἀπὸ κοινοῦ ratio et us. quid. in gr. lingua p. 5 Krüger, Gr. Spr. II § 64. 4, 2. 3 Kühner, Gr. Gr. II³ 570 sqq. L. Gr. II 1047 sq. Madvig, L. Spr. § 446 Wölflin et Miodoński ad Bell. Afr. 40, 5. 44, 4.

² in scholiis Vergilianis syllepsis passim notatur, cf. ad G. III 115 A. II 321 V 108. syllepsis *per numeros* indicatur A. IX 523 (cf. I 131), s. *per genus* A. X 672, s. *per adsumptionem casus* G. II 317. ampliore sensu vocabulum usurpatur ad A. IX 60. 636. etiam zeugmatis notio late patet grammaticis technicisque: cf. Apollon. Synt. II 30 saep. Rhet. gr. III 35, 17. 168. 23. 172, 18. 185, 5 Sp. Rhet. lat. min. p. 48, 2. 69, 166. 608, 14. Servius ad A. I 144 XII 576 elliptica zeugmaticis adnumerat vel genera quaedam schematis ἀπὸ κοινοῦ quod aiunt ut z. *a superioribus* A. III 133 (schol. Ξ 317 κοινὸν ἀνωθεν νοεῖται . . . cf. Leidenroth l. c. p. 32), *a medio* A. I 120, *ab inferioribus* A. I 120 III 260 (*a posterioribus* E. 9, 1 coll. A. I 502), *utriusque lateris* A. V 111 cf. *carmen de fig.* 168; adde Rhet. gr. III 172, 26 Sp. Terentiana commenta vel magis titubant: evolvas exempli gratia notas ad Andr. 494. 607 Eun. 396; cf. Hahn, Zur Entstehungsgesch. d. Schol. d. Don. z. Ter. Halberstadt 1870 p. 7 sq.

δὲ ἔδον πρὸς δῶμα quantum e scholiastarum silentio concluditur Aristarchum stilo perpercisse quamquam zeugmatis exemplum luculentius exstat nullum; nec ad K 334 ἔσσατο ἔκτοσθεν ῥινὸν πολιοῖο λύκοιο, | κρατὶ δ' ἐπὶ κτιδέην κυνέην traditur ἢ διπλῆ. contra recte perceperunt figuram schol. ad Θ 507 monentes σῖτον <φέρεσθαι>. his praemissis exempla quaedam pensitare vacat.

ex Aeschylo cum alia huc cadunt tum Suppl. 973 πρὸς ταῦτα μὴ πάθωμεν ὦν πολὺς πόνος, | πολὺς δὲ πόντος εἶνεκ' ἠρόθη δορί. pontus enim enavigatur, labor exanclatur seu verbum similis notionis interponere cogitando mavis. en aliud ἀμάρτημα μετὰ λόγου πεποιημένον illo priore vel exquisitius Eum. 75 ἔλωσι γάρ σε . . . | βεβῶτ ἄν ἀεὶ τὴν πλανοστιβῆ χθόνα | ὑπὲρ τε πόντον καὶ περριρύτας πόλεις. ne hanc quidem tam perfectam quam adumbratam dixerim orationem quae duobus supplementis indigeat: agitabunt furiae matricidam licet ὑπὲρ πόντον <φεύγοντα> aut περριρύτας πόλεις <προστρεπόμενον>; cf. Eum. 203.

et hanc apud graecos praecipue figuram, frequenter tamen apud latinos etiam deprehendimus. refert Plin. N. H. XXXV 115 elogium ab Ardeatibus M. Plautio pictori dedicatum *dignis digna. loco¹ picturis condecoravit | reginae Iunonis supremi coniugis templum | Plautius Marcus, cluet Asia lata esse oriundus, | quem nunc et post semper ob artem hanc Ardea laudat.* ultimus versus artem sibi figurae potest asserere cum *laudat* et praesens et futurum tempus comprehendat. nec tollitur syllepsis si quis cum Vahleno² *post idem valere dicat quod in posterum.*

et illa figurata quae titulus praebet sepulchri Caesarianis fortasse temporibus aequalis (A. L. II 55, 14 B.): *studium patronae, cura, amor, laudes, decus | silenti ambusto corpore et leto tacent. silere laudes apte dicuntur, minus apte cetera quae iacent quod voluit Manutius vel simile requirunt (cf. Buecheleri notam). ne hoc quidem figurarum caret elegantissimi distichon quod inscriptum legitur in sepulchro hominis cuiusdam christiani (A. L. II 1393, 5 B.) hunc cause meserum, hunc querunt uota dolentum, | quos aluit semper uoce manu lacrimis.* praeter enim quam quod heroicum

¹ *dignis digna. loco* Hertz, De Plautio poeta et pictore p. 12. *dignis digna loces* Lachmann ad Lucr. IV 53; idem *qui Asia* coniecit.

² Abh. d. Berl. Ak. phil.-hist. Kl. 1886 p. 7, 1. eiusdem me movet auctoritas ne perinde dictum accipiam illud *ergo postque magisque viri nunc gloria claret* quo praeconium Cunctatoris Enniani exit (A. 370 V.²). sed ipsum adeas velim Vahlenum l. c.

distinguit *querunt* ἀπὸ κοινοῦ positum accedit in pentametro syllepsis cum verbum non singulis pariter ablativis conveniat. Sefronius ille qui hoc sub tumulo requiescit manu miserōs *aluit* vel *satiavit* opes largiendo scilicet, voce *iuvit* vel *erexit*, idem collacrimans solacium praebuit afflictis. inspice quæso 1370, 8 *eloquio miserōs uel pietate iuvans* 1371, 16 *illos eloquio, hos satiabat ope*; etiam his extremis syllepsis intercessit nam eloquio non tam *satiantur* inopes quam accepto solacio *iuvantur* vel *eriguntur*. spectatae misericordiae matronam Sidonius laudat ep. VI 2, 1 Eutropiam quæ *non minus* inquit *se ieiuniis quam cibis pauperes pascit*. et hæc audacius figuravit, dubito tamen an oxymoron potius quam zeugma captaverit. acumine non absimili Petrus presbyter laudatur in titulo *pauperib(us) locuples, sibi pauper* (A. L. II 312, 6 ubi Buech. Iuv. V 113 confert).

breviloquentiae cultor Valerius Flaccus non paucis locis praedicati formas omisit et ita quidem ut vix divinando nedum cogitando suppleatur enuntiatum. sunt tamen in quibus detractio temeritas aliquatenus excusetur zeugmate. II 521 sqq. Hercules pisticem sagittis opprimere conatur. illa tamen immota manet et absumpto iactus spatio frustratus heros in iras consurgit: *tum vero fremitus <ardescere viri> vanique insania coepti | et tacitus pudor <in corde aestuare> et rursus pallescere virgo*; supplementa praestitit Verg. A. XI 607 XII 666 sq. abruptum plane sermonis genus sed quod bene pingat animorum affectiones. alia facilius intelleguntur ut II 351 *requirit | Hypsipyle quæ fata trahant quæ regis agat vis | aut unde Haemoniae molem ratis <sibi paraverit>* III 19 *unde tubæ <sonitum reddidere> nocturnaque movit Erinys?*¹ 525 *summo palla genu, tenui vagus innatat unda | crinis: palla <desinit>* Langen ad I 489; VII 30 *oculos longe tenet aurea si iam | pellis et oblati clarescant atria villis: audis 'si iam aurea pellis apportetur'*².

Optat. Porfyrius in *organi* dimetris per conceptionem sarta describit e frondibus nexa variataque versicolori mixtura florum: *urbesque flore grato | et frondibus decoris | totis virent plateis*. scilicet ut virent frondibus ita florum coloribus urbes *nitent*.

Claud. Manl. Theod. 313 *qui nutu manibusque loquax, cui*

¹ movit i. se movit ut Aetn. 462 nam simulatque movet viris turbanque minatus

² zeugmata quaedam Valeriana post Thilonem (prol. p. XXI sq.) Gebbing l. c. p. 51 sq. explicavit; cf. Langen ad I 155. 567 III 401 IV 700. 762 V 432. 475 VI 555 VII 64 VIII 152.

tibia flatu, | cui plectro pulsanda chelys tibia non pulsatur flatu sicut chordae plectro pulsantur immo tibia flatu cantantis animatur in carmina (cf. infra p. 588).

Prudent. Hamartig. 159 *dum scatebras fluviorum omnes et operta metalla | eliquat ornatus solvendi leno pudoris.* metalla sane quidem eliquantur vel excoquantur in aëria, fluviorum scatebras perscrutatur ornatus conquirendi cupiditas, harenam auriferam exhaurit, exhaustam percolat id quod etiam *eliquandi* verbo licuit indicare. meminerat Prudentius Tagi qui fluvius *auriferis harenis celebratur* (Plin. N. H. IV 115) vel Pactoli Hermive. idem Perist. XI 55 *inde catenarum tractus, hinc lorea flagra | stridere, virgarum concrepitare fragor.* non strident catenae sed sonant a martyribus vincitis tractae. ibid. 91 animalia h. e. equi dicuntur *non stabulis blandive manu palpata magistri:* audimus stabulis <nutrita>.

Apoll. Sidon. c. 2, 18 *te prece ruricola expetiit, te foedere iunctus | adsensu, te castra tubis, te curia plausu . . .* nimirum ruricolae novum imperatorem expetivere precibus, foederatae gentes assensu probarunt electum, castra tubarum concentu salutaverunt, senatus accepit plausu.

idem in versibus insertis epistolae¹ VIII 9, 5 *ac si Delphica Delio tulissem | instrumenta tuo novusque Apollo | cortinam tripodas, chelyn pharetras, | arcus grypas agam . . .* agere cortinam vel tripodas ne tanto quidem verborum artificii fas erat; parum enim mobiles fuerunt. sed Pythius quomodo *fert* vel *gerit* chelyn et arcum cum pharetra sic *possidet* cortinam ipse *cortinipotens* dictus Lucilio (VII 276 Marx). Sidonius ut grypas tripodasque Claudiano surripuerit (VI cons. Hon. 30 sq., cf. Mon. Germ. VIII 375) figuram saltem non debet illi².

idem in ep. IX 13, 5 versibus *age, convocata pubes, | locus hora, mensa causa | iubet, ut volumen istud, | quod et aure et ore discis, | studiis in astra tollas.* neque vero *discimus* ore; *redimus* quod aure recepimus.

ibid. 5 *placuit . . . non uno tamen epigrammata singulorum genere proferri, ne quisquam nostrum, qui ceteris dixisset exilius,*

¹ Kretschmann, De lat. G. Sollii Apoll. Sid. I 14 zeugmatica quaedam ex epistulis collegit quae maximam partem ad translatum dicendi genus recedunt.

² Verg. A. III 359 *Troiugena, interpretes divum, qui numina Phoebi, | qui tripodas, Clarii laurus, qui sidera sentis | et volucrum linguas et praepetis omnia pinnae . . .* Servius: *sane per omnia zeugma est ab inferioribus 'sentis'.*

verecundia primum, post morderetur invidia. audis ne quisquam . . . verecundia primum <impediretur recitare>, post morderetur invidia.

idem in ep. I 8, 2 Candidianum amicum Ravennae morantem cavillaturus post alia quae hanc non sunt ad rem *ita tamen* inquit *quod te Ravennae felicius exultantem auribus Padano culice perfossis municipalium ranarum loquax turba circumssilit.* ad haec glossator Digbeianus l. c. p. 33, 18: *Candidianus cum in municipio esset Ravennae cotidie sero et mane audivit ranas garrientes in palude circa illud castellum et culices. ecce zeugma subrepsit homini non id agenti. procul ille dubio voluit et culices <pungentes tolerare coactus est>. punctiones enim oestrorum Sidonius spectat non susurros qui leves sunt prae ranunculorum querelis.*

claudat agmen syllepsis quam hymnus ad S. Agatham Pseudodamasianus praebet (71, 5 Ihm). Virgo Christo devota praedicatur *stirpe decens elegans specie, | sed magis actibus atque fide.* cum male quadret sanctam martyrem *fide* dici *elegantem* nisi forte recurrere placet ad id quod praecedit *decens* audiemus *actibus atque fide nitens* seu *fulgens*¹ ut est in versibus S. Agneti dedicatis (Rossi IChr. II p. 63 n. 6; Ihm ad Damas. epigr. 40) *virginis aula micat variis decorata metallis, | sed plus namque nitet meritis fulgentior amplis.* cf. A. L. II 1390, 5 B. *Candida praesenti tegitur matrona sepulcro | moribus ingenio et gravitate nitens.*

Quod ad illud zeugmatis genus quo Lobeck *leniri* dicit μετάληψιν αἰσθήσεως attinet, vix opus est pluribus². hic enim late patet usus nec quisquam ignorat qualia sunt ἰ 166 *Κυκλώπων δ' ἐς γαίαν ἐλεύσομεν ἔγγυς ἐόντων | καπνόν τ' αὐτῶν τε φθογγὴν οἴων τε καὶ αἰγῶν*³ Aesch. Prom. 21 ἴν' οὔτε φωνὴν οὔτε του μορφὴν βροτῶν | ὄψει Eum. 57 τὸ φύλον οὐκ ὄπωπα τῆσδ' ὀμιλίας | οὐδ' ἦτις αἶα τοῦτ' ἐπεύχεται γένος | τρέφουσ' ἀνατεί μὴ μεταστένειν πόνον Lucr. I 255 *hinc lactas urbes pueris florere videmus | frondiferasque novis avibus canere undique silvas* IV 595 *haec loca per voces veniant aurisque lacessant, | conloquium clausis foribus quo saepe videmus* Aetn. 277 *cernere sacros | Aetnaei montis fre-*

¹ ne versione quidem obscuratur figura: 'Ausgezeichnet ist sie durch Herkunft, hehr von Gestalt, aber auch durch ihre Thaten und durch ihren Glauben' . . . ita Kayser, Beitr. z. Gesch. u. Erkl. d. ält. Kirchenhymnen I² 117.

² cf. Nitzsch ad ἰ 166 Leo, Sen. I 111, 11 Norden ad Verg. A. VI 256.

³ schol. ἐπὶ δὲ τοῦ φθόγγου ὑπακουστέον τὸ ἠκούομεν.

mitus animosque furentis Eichendorff (Das Flügelross): Und sehn wir dann den Abend | Verhallen und verblühh.

venio nunc ad eam conceptionis formam qua cum ad plures personas convertatur oratio nominatim appellatur una; *sylllepsin per numeros* Servius vocat ad A. IX 523, *figuram per personas* rhetor latinus (p. 56, 15 Halm)¹. talia dico: γ 43 εὔχεο νῦν, ᾧ ξεῖνε, Ποσειδάωνι ἄνακτι | τοῦ γὰρ καὶ δαίτης ἠντήσατε δεῦρο μολόντες μ 80 μέσω δ' ἐν σκοπέλω ἐστὶ σπέος ἠεροειδέξ, | . . . ἢ περ ἄν ὑμεῖς | νῆα παρὰ γλαφυρὴν ἰθύνετε, φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ Soph. Phil. 369 ᾧ σχέτλι', ἦ 'τολμήσατ' ἄντ' ἐμοῦ τιμι | δοῦνα τὰ τεύχη τὰμά Verg. A. I 139 *tenet ille immania saxa, | vestras, Eure, domos* IX 523 *vos, o Calliope, precor* (Sil. III 222 XII 390) XI 686 *silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti? | advenit qui vestra dies muliebribus armis | verba redarguerit* Tib. I 3, 1 *ibitis . . . Messala* Ov. F. I 285 *pax erat et vestri, Germanice, causa triumphphi | tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas* Val. Fl. V 217 *incipi nunc cantus alios, dea, visaque vobis | Thessalici da bella ducis* VIII 178 'vos' ait 'Aesonide' Sil. XVI 213 *Hasdrubal, huc aures, huc quaeso advertite sensus* Cic. N. D. I 19, 51 *et quaerere a nobis, Balbe, soletis . . .*².

hanc *figuram per personas* in Aetnae vv. 586 sq. agnosco: *tu quoque Athenarum carmen tam nobile sidus*³, *Erigone: sedes vestra est. Philomela canoris | evocat in silvis et tu, soror, hospita*⁴ *tectis | acciperis; solis Tereus ferus exulat agris. accidere facillime potuit ut monstrator* (Lucan. IV 979) cum hospiti vel ex arce vel ex alia specula solum Atticum prospectanti montem indicaret Icarium⁵, Erigones simul mentionem faceret. quid mirum ille si

¹ cf. Lobeck ad Ai. 191 Nitzsch ad γ 43 Forbiger ad Verg. A. I 140.

² accedit ad *figuram* Val. Fl. I 793 *da placidae mihi sedis iter meque hostia vestris | conciliet praemissa locis: Aeson* antequam Peliae minas voluntaria morte praeveniat plures defunctorum umbras obtestatur et seorsum parentis.

³ *iam nobile* Scaliger sine causa. *tam nobile sidus* Erigone quoniam catasterismum Eratosthenes celebravit epyllio quod fuisse διὰ πάντων ἀμώμητων ποιημάτων Pseudolonginus auctor est (Rhet. gr. I 283, 22 Sp.). *sidus* Erigoneu appellat quia primum illa locum obtinet in sidere.

⁴ ita distinxit Buecheler, Rh. M. N. F. LIV 5. priores 'sororem hospitam' iungebant.

⁵ cf. Maass, Anal. Eratosth. p. 81. 105. 119.

haec in memoriam revocata meminerit eorum quoque qui seu naturae seu fati vinculo cum illa fuere coniuncti, non solum Icarium patris verum etiam caniculae fidelitate spectatae? ¹ haec secum cogitans *sedes inquit vestra est* (das also ist eure Heimat, ihr vertrauten Gestalten der Sage). non hercle me fugit quantum illi versus et olim displicuerint interpretibus et nunc displiceant ²; neque tamen quid in his pressae dictionis angustiis iure desideretur video. habemus sane poetam verborum parcissimum nec indignari deberrum etsi *saepe minus quam audienti sat est eloquitur* (Sen. Contr. II praef. 2).

ad eandem *syllapsin per numeros* recedunt quae leguntur in Ciri 407 *vos ego, vos adeo, venti, testabor, et aurae, | vos o numantina si qui de gente venitis, | cernitis: illa ego sum cognato sanguine vobis | Scylla (quod o salva liceat te dicere Procne) . . .* corruptae versus 408 memoriae multis modis succurrere studuerunt quod hac in quaestione parum refert. etenim sive cum Leone ³ lacunam statuis hunc in modum supplendam *vos o <qui ponti, colitis qui caerulea caeli, | vos vos> humana si qui de gente venitis*

¹ schol. K 29 ὁ δὲ κύων ὑποστρέψας πρὸς τὴν Ἡριγόνην δι' ὠρυγμοῦ ἐμήνησεν αὐτῇ τὰ γεγονότα. Ampel. II 5 *canis ante pedes discumbens diutius et sine alimentis deficiens post aquam anhelans in puteum se proiecit.* plura dabit Maass p. 74. etiam Pan. Mess. 10 sq. patri filiaeque canem adiungit.

² ut pauca seligam: improbableem textum Baehrens constituit *tu quoque Athenarum carmen, iam nobile sidus, | Erigone es et quae stirpem Philomela canoris | invocat in silvis . . .* improbabiliorem Ellis *tu quoque Athenarum carmen, tam nobile sidus | Erigonae's, dequesta senem: Philomela canoris | plorat Ityn silvis . . .* improbabilissimum Maass, Anal. Eratosth. p. 85 *tu quoque Athenarum crimen iam nobile sidus | Erigone, edens questus Philomela canoras | en volat in silvas, et tu soror hospita lectis | acciperis . . .* plane mirum Vessereau t. q. A. c., t. n. s. | *Erigone; sedes vestras Philomela c. e. i. s. . . .* proinde quasi nihil umquam summus nos interpretes de Philomeles evocationibus docuerit (Rh. M. N. F. LIV 5). me nuper ipsum canora nemorum cultrix *evocavit oppidoque relicto viretis obambulantem delectabat* Μοῦσα λοχμαία. lepidissime mores avicularum diversi depinguntur. Iusciniam quae deserta colit homines visunt auscultandi cupidine tectis proritati; hirundo homines adit ipsa tectorum hospitia quaeritans; upupam contra quamvis crista spectandam plicatili nec volucres in coetus admittunt nec medicis exceptis homines flocci faciunt obscenam pastu stercorariam (Plin. N. H. X 86 XXX 53; cf. Preller-Jordan, R. M. I 375. Oder, Rh. M. N. F. XLIII 556).

³ De Ciri carmine coniectanea p. 16 sq.

sive cum Sudhausio¹ *vos, humana olim si qui de gente venitis* sive cum Ellisio² *vos horum antiqua si qui de gente venitis* sive scribis quod praetulerim ipse *vos [h]o[mi]num antiqua si qui de gente venitis* eadem gignitur eloquii figura: Scylla cum plures personas allocutione complectatur nomine non invocat nisi Procnen.

neve quotiens idem valet quod *et* — *ne* vel coniunctivus vel imperativus vel alia quaedam sententia cohortativa praecedere solet ut Verg. A. VII 265 *adveniat voltus neve exhorrescat amicos* VIII 579 *liceat crudelem abrumpere vitam . . . gravior neu nuntius auris | volneret* IX 232 *audite o mentibus aequis, | Aeneadae, neve haec nostris spectentur ab annis | quae ferimus . . .* Hor. C. I 2, 50 *hic ames dici pater atque princeps | neu sinas Medos equitare inultos . . .* Sat. II 5, 23 *captes astutus ubique | testamenta senum neu . . . aut spem deponas aut artem inlusus omittas* 37

¹ Rh. M. N. F. LXI 28 sq.

² Am. Journ. of Philol. VIII 11 sq. *antiqua* multo prius conieci quam Ellisii commentationem cognoscerem; quod moneo ne quis illius me scriinia compilasse putet. — locum sic intellego: Scylla primum ventos aurasque testatur deinde homines et eos potissimum quibuscum cognationis vinculis est coniuncta quandoquidem ut ipsa stirpem ducant antiqua de gente h. e. attica. cogitat Erechtheum totius generis auctorem, Pandionem utrumque, Dauliades denique sorores et has prae ceteris cum par sit feminarum misericordiam exposcere feminam, afflictam afflictarum (Varro L. L. V 76 *Attica Progne* A. L. II 467 B. *Marathonis . . . aëdon* 468, 1 *avis Attica parvula . . .* Val. Fl. II 68 *Actaeus Bootes* qui fuerit Icarus olim cf. Sen. Med. 315). quam gentem quod antiquam nuncupat mirum non est. constat quatenus Athenienses antiquitate generis gloriati sint αὐτόχθονας sese iactantes, μετ' ἡλίου creatos (Rhet. gr. III 354, 26 Sp.), δῆμον Ἐρεχθῆος μεγάλητορος ὄν ποτ' Ἀθήνῃ | θρέψε Διὸς θυγάτηρ, τέκε δὲ Ζεῖδωρος ἄρουρα (Rhet. gr. II 82, 13 Sp.), Ogygi vetustatem iam ipso nomine prae se ferentis turbam. hinc Aesch. Pers. 953 sq. ὠγυγίους . . . Ἀθάνας (cf. Hesychn. ὠγύγιον· παλαιόν, ἀρχαῖον), Enn. Sc. 287 V.² *Athenas anticum opulentum oppidum* dixerunt, hinc παλαιχθων | δῆμος Ἀθηναίων audit in epigrammate (Aeschin. Ctes. 190), hinc explicatur quod ars praecipit ἀπὸ τῆς ἀρχαιότητος Athenienses esse laudandos (II 269 Walz) quorum solum post chaos primum exsiluerit (VI 7 W. Serv. ad A. I 531; cf. Arist. Rhet. I 5). poeta quisquis fuit et haec et similia discere potuit apud rhetores; etiam Procnes quasi decantatae fabulae mentio fit (III 339, 23 Sp.) intra vv. 404—408 num quidquam exciderit dubito. quamquam divorum allocutio vv. 405 sq. promissa desideratur, haud scio an ipse poeta duobus eclogae Vergil. VIII versibus importunius quam aptius inculcatis tenorem orationis turbaverit.

nequid tu perdas neu sis iocus Ep. I 11, 23 *grata sume manu neu dulcicia differ in annum* 18, 109 *sit bona librorum et provisae frugis in annum | copia neu fluitem dubiae spe pendulus horae.*

rarius indicativum particula subsequitur: Ov. M. IV 713 *utque Iovis praepes vacuo cum vidit in arvo | praebentem Phoebo liventia terga draconem | occupat aversum neu saeva retorqueat ora | squamigeris avidos figit cervicibus ungues . . .* Mor. 54 *verum aliam sibi quaerit opem neu sola palato | sit non grata Ceres quas iungat comparat escas.*

aliquantum differt ab his exemplis Verg. G. II 35 *quare agite o proprios generatim discite cultus, | agricolae, fructusque feros mollite colendo | neu segnes iaceant terrae.* nihil in his grammatica requirit, sensus tamen aliquem postulat imperativum ad quem interdictum cogitando tamquam applicetur ut puta *discite . . . mollite . . . et <cavete> ne segnes iaceant terrae.* absolvit orationem in argumento parili Cat. R. R. 38, 2 *ignem caveto ne intermittas: quin semper siet neve noctu neve ullo tempore intermittatur caveto*¹.

apertius ad conceptionem redit Porfyr. 23. 5 sqq. L. M. *sed uitans multos, quos foeda ad iurga coiuæ | uoluerit iratos*² *neu candida femina Graecum | mox karis hebetet telis . . .* ad quae recte Müller: *neu i. e. et cavens, ne.*

sic interpretor Aetn. 203 *ipse procul tantos miratur Iuppiter ignes | neve sepulta novi surgant in bella gigantes | neu Ditem regni pudeat neu tartara caelo | vertat in occulto.* et haec est syllepsis: Iuppiter quamquam procul vel e caelo (54³) flammaram

¹ apud Handium non repperi nisi hunc locum et Verg. G. II 35 (Turs. IV 177).

² *iratos* L. Müller testes odd.

³ scribunt *in caelo, en c., et c.* sed imaginemur oportet Iovem quamvis subducto caelo regnantem (34) nihilo tamen secius pavore percussus (Apoll. Sid. c. VI 15 *cum trepidum spectaret Flegra Tonantem*), Sen. Phaedr. 1136 metuentem caelo Iovem induxit: hic poeta procul i. e. ex caelesti sede cum metu prospectantem finxit deum. — ne zeugmaticis quidem germanica poesis caret: Luther, Esther 4, 1 <Mardachai> legte einen Sack an und Asche (Gerber l. c. p. 475), J. Ch. Günther (An Gott): Kein Unglück schlägt die Zuversicht: | Du kannst, Du musst, Du lässt mich nicht h. e. tu me vales adiuvare, tu debes adiuvare . . . Klopstock (Petr. u. Laura 87): euch soll die goldne Zeit | Lächelnd Blumen und Kränze streun! Goethe: Entzahnte Kiefern schnattern | Und das schlotternde Gebein. ad haec Lehmann,

eruptionem spectat miratur tamen et <metuit> ne sepultum rebellet gigantomachiae certamen. sequentia quae librarii corruerunt partim ope Gyraldinae memoriae partim Aldinae restitui palam est; cf. Sudhaus ad h. l. et Gött gel. Anz. 1903. 7 p. 543.

IV schematis quod aiunt ἀπὸ κοινοῦ non admodum frequens in particulis cernitur usus.

nunc: Verg. A. V 830 *pariterque sinistros, | nunc dextros solvere sinus* Aetn. 260 *quaeritur argenti semen, nunc aurea vena*¹.

modo: Mart. Cap. II 123 v. 7 *quid agat per aperta madores | modo nubibus imbrificatis, | quid euntibus agmine nimbis | revocet nitidissima verna . . .*² cf. Nipperd. ad Tac. A. IV 50, 27; diversi generis quaedam Hand, Turs. III 650 collegit.

neque: huius inconcinnitatis C. F. W. Müller³ certum

Goethes Sprache und ihr Geist p. 394: 'etwa beb't. immo sonandi verbum postulatur ut 'edentatae maxillae clangunt, ossa trementia <crepitant>'. idem: Ihr müsst nit mit Feuer und Schwert dreinschlagen. idem: Fangen an das Dach zu flechten; — | Wer bedürfte dieser Hütte? | Und wie Zimmrer, die gerechten, | Bank und Tischchen in der Mitte . . . audi 'scannum mensulamque <fabricari>'. Schiller: Nicht wo die goldne Ceres lacht | Und der friedliche Pan, der Flurenbehüter . . . Pan non ridet sed <domicilium suum habet> in pascuis. Eichendorff (Abschiedstafel): Soweit Poeten wohnen, | Soweit der Wälder Kronen <rauschen>. idem (Lucius 5): Wie, rief sie, da die Nachtigallen klagen | Und durch die Au mit lieblichem Getön | Die Quellen, die sehsüchtig nach ihm fragen . . . <crepant> lymphae per prata manantes. Scheffel (Der Rennstieg): Das Eichhorn kann von Ast zu Ast sich schwingen, | So weit er reicht und nicht zu Boden springen . . . sciuro non est opus humum desilire quotiens ab altero latere limitis alterum petit ramum ramo mutans. R. Wagner in nenia C. M. Weberi manibus sacrata (p. 6 sylloges Glasenappianae): Einst, wie jetzt, auf meerumwogten Kahne | Sah'n wir Dich zum stolzen England ziehn . . . h. e. olim vidimus in Britanniam te navi proficiscentem ut nunc mortuum videmus navi revectum.

¹ Goethe: Der Alte wandelt nun hier und bald dort — Und wölbt sich nicht das überweltlich Grosse, | Gestaltenreiche, bald gestaltenlose? — Es klingt so prächtig, wenn der Dichter | Der Sonne, bald dem Kaiser sich vergleicht — Doch ach! das Reich bis zu dem Fuss der Thronen | Von eignem, bald von fremdem Blute roth . . . Schiller: Hoch auf springt die Bacchantin im Tanz, dort ruhet sie schlummernd . . .

² Goethe: Ihm war bald was zu kurz, zu lang — So wie im Tanze bald sich verschwindet, | Wieder sich findet | Liebendes Paar . . . Tieck: Stieg wechselnd bald und sank die Brust . . .

³ Ueber den Gebrauch von sive p. 36, 1. apud Mart. III 95, 4

exemplum investigavit unum Gell. X 15, 9 (*flamen dialis*) *nodum in apice neque in cinctu neque in alia parte ullum habet; audimus neque in apice*. Madvig¹ observavit Val. Fl. II 231 *immanes quos sternere Bessi | nec Geticae potuere manus addo Damas. ep. 42, 1 Ihm sanctorum, quicumque legis, venerare sepulchrum. | nomina nec numerum potuit retinere vetustas*. moris fuit christianis martyrum in sepulchris communibus conditorum si quidem nomina nota non erant numerum certe lapidibus insculpere quem usum Prudentius testatur Perist. XI 9 *sunt et muta tamen tacitas claudentia tumbas | marmora, quae solum significant numerum. | quantum virum iaceant congestis corpora acervis | nosse licet, quorum nomina nulla legas*. illa tumba quam Damasus inscripsit nec nomina nec numerum humatorum indicavit quamvis magna sub muto marmore iaceret turba piorum (ep. 12, 1)².

sive: Cat. 4, 19 *laeva sive dextera | vocaret aura* cf. Catal. 8, 18. Hor. C. I 3, 15 *quo non arbiter Hadriae | maior, tollere seu ponere volt fracta* 6, 19 *vacui sive quid urimur* Sat. II 5, 10 *turdus | sive aliud privum dabitur tibi* 8, 16 *Albanum, Maecenas, sive Falernum | te magis appositis delectat, habemus utrumque* Prop. II 26^b, 34 *prora cubile mihi seu mihi puppis erit* Prudent. Hamartig. 888 *aeris sinistri seu dextri* A. L. 927, 3 B. *spectator scaenae siue es studiosus equorum*. Tac. A. I 6 *ficta seu vera promeret* V 4 Hist. III 12. 33 IV 33 VI 12 *una seu plures fuere*³.

hoc schemate statuto dilucidari confidimus *Aetnae* vv. 283 sqq. quibus in enucleandis vix dici potest quantum luctati sint interpretes. ego hunc textum genuinum ratus *concrecant animae pe-*

nec melior legitur cum TPQ. Cat. R. R. 66, 1 Plaut. Curc. 579 Ter. Eun. 1077 [adde Heaut. 64] aliter se habere Müller ipse perspexit. sed digna sunt quae considerentur Caes. B. C. III 71, 3 *neque in litteris neque in fascibus insignia laureae praetulit* Vell. II 45, 1 *quique neque dicendi neque faciendi ullum nosset modum*; utroque loco prius *neque* librorum auctoritate caret. — de graecis cf. Mehlhorn l. c. p. 8.

¹ Adv. crit. II 122. adicit Val. Fl. I 381 *Mycenaeis olim qui candida velis | aequora nec stantes mirabere mille magistris* ubi nunc *et instantes* ex Eysenhardtii coniectura praeferunt.

² servavit concinnitatem Val. Fl. VI 36 *rerum ego nec numero memorem nec nomine cunctos*.

³ cf. C. F. W. Müller l. c. p. 9. de graecis Herm. ad. Viger. p. 834 Heind. ad Plat. Soph. p. 224 d 21.

nitus seu forte cavernae | introitusque ipsi servant seu terra minutis | rara foraminibus tenues in se abstrahat auras particulam primo membro detractam reddo: (*seu*) *concresecant animae penitus* . . . ac primum quidem coniunctivos sine causa sollicitari documento sunt Val. Fl. I 232 *seu flammis seu lubrica comminus exta | seu plenum certis interroget aera pinnis* Sil. XIV 262 *tergemino venit numero fecunda Panhormos | seu silvis sectere feras seu re-tibus aequor | verrere seu caelo libeat traaxisse volucrem*¹. adde Prop. II 26^b, 29 *seu mare per longum mea cogitet ire puella* (prius membrum disiunctionis excidit) Iuv. XI 28 *sive | coniugium quaeras vel sacri in parte senatus | esse velis* . . . Plin. N. H. XXIV 146 *sive phagedaenae sint sive carcinomata sive serpant* . . . 184 *sive duritia sive tumor sive contractio sit vulvae* . . . XXVI 131 *sive ore sanguis reiciatur sive naribus sive alvo fluat* . . . Plin. ep. I 16, 2 II 17, 27. nec est cur in modorum varietate (290 sq.) haereamus cum constet qua licentia hic modos confuderit poeta versibus potissimum 228 sqq. de quibus olim disputavimus². quod si peccatum est aequè peccavit Iuvenalis qui post coniunctivos *quaeras* . . . *velis* indicativum admiserit *seu tu* . . . *affectas* (32 sq.). et haec quidem de dictione; rem ipsam nisi carptim perstringere nunc non est in animo.

quod monet Lucretius res esse aliquot quarum unam dicere causam non satis sit *verum pluris unde una tamen sit*, huius praecepti memor ignotus poeta non una ratione fieri posse concedit, ut animae quas putat incendiorum causas condensentur. etenim aut illae concresecunt penitus h. e. in imis profundae terrae speluncis et voraginibus (117 sqq.) aut crateres ipsi³ per totam montis superficiem patuli servant eas aut ut ait Callisthenes apud Sen. N. Q. VI 23, 4 *spiritus intrat terram per occulta foramina* quae *rara foramina* Lucretio sunt (V 457). hoc palam videtur esse cavernas et introitus in vastum ambitum spatiosos tenuitati foraminum opponi. nec frustra *servandi* verbum usurpatur quod prospicit opinionem vv. 330—358 et abunde refutatam et obscure: *servant* crateres ventos postquam conceperunt nec *pulsos remeare* sinunt. quae restant absolvenda posterum in tempus differantur.

¹ Stat. Silv. II 1, 113 sqq. procul habere satius est; cf. Vollmer ad h. l.

² Philol. LVI 105 sqq. cf. Sudhaus p. 90 Birt, Philol. LVII 609.

³ 'Die eigentlichen Krateröffnungen' ut 426 *similes adsiste cavernas*.

V inter feliciores Porfyrianae lucubrationis proventus carmen illud figuratum laudaverim quo fistulae species pastoriciae heroicis metris adumbratur (27 L. M.). placet idyllium subicere totum ne commodo legentis officiat verborum e contextu decerptorum obscuritas; severitas metrorum maiusculis litteris luclentius patefit.

Praecelsae quercus frondenti in uertice pendens
 Testor templa loci Faunos celebrare frequentes,
 Disparibus compacta modis totidemque cicutis,
 Dulcisono Panum oblectans modulamine silvas,
 Naiadum Dryadumque choros arcanaque Bacchi 5
 Orgia et heuuantis Satyros per musica tempe.
 Me Pan ad thiasos docuit modulamina cantus
 Et uariata sonis uinxit consortia primus;
 Attis almus amans, tua maxima cura, Cybebe,
 E roseo terit ore deus mollique labello 10
 Accenditque tuos Idaeos, mater, amores;
 In me felices animauit carmina Musas,
 Me iudex formae alta gestauit in Ida;
 Me laeti sociam uoti uicina marito
 Eoo lucis canit inuitata sub ortu¹. 15

primus versus XLII litteris constat, sequentes singuli singulis elementis usque decrescunt². neque vero Porfyrius figurata specie carminis acquieuit; eloquium quoque variis figurarum luminibus distinxit in quo genere v. 3 operosum triplicis schematis artificium exhibet. *est mihi disparibus septem compacta cicutis | fistula* — haec Corydon rustici Mantuani nec simpliciis quidquam esse planiusve potest. qua genuina sermonis integritate 'frater' Constantini 'carissimus' abusus primum σχῆμα συλληπτικόν est aucupatus. licebat fistulam disparibus cicutis compactam, modis dicere compactam non licebat. et haec est figura per conceptionem. accedit quod avenae compingendae fuere priusquam modi cierentur: hoc iure dixeris hysteron proteron in sensu. praeterea *totidemque cicutis* perinde dictum est ac si numerus antecederet certus quo respiceret;

¹ 9 *almus amans Attis* L. Müller nescio an recte. *Cybeie* B *Cybebe* L. Müller.

² Tib. II 5, 31 *fistula cui semper decrescit arundinis ordo: | nam calamus cera iungitur usque minor*. Licetus ad Syring. Porph. p. 16 (Wernsdorf PLM. II 386 adn.): *Pubilius propriae Syringi septenas dedit cicutas, quarum prima omnium maxima tres versus complectitur, aliae singulae seorsum binas*. Cf. Bergk, Anth. lyr.² p. LXXII.

audimus *totidem cicutis quot modis*. moleste profecto talia ferimus ut ambitiosa curisque nimium scrupulosis evigilata sed ferimus. est enim poetae, quod disiungit oratio membratimque disicit, id tamquam unum individuumque cogitatione comprehendere.

in v. 8 nequiquam Pan *uariata sonis uinxit consortia* nempe satius fuit vincere cetera calamos longitudine diversos (Tib. II 5, 31 sq.) unde sonorum varietas excitaretur. hoc quidem audacter ἐνῆλλακται dicendi genus, temperantius eandem figuram lusit v. 11 *tuos Idaeos mater amores* 15 *Eoo lucis sub ortu* 9, 25 *tua fatur pulchra iuventae*; cf. infra ad v. 12.

v. 10 *me roseo terit ore decus* L. Müller¹ praepropere. *deus* enim Attis et *almus* quia Sol putabatur². *e roseo terit ore* secundum inferioris aevi licentiam ablativi vicem instrumentalis obtinet³.

v. 12 *me non felices animavit Marsya Musas* L. Müller coniecit ope Musarum ut videtur destitutus ipse. vereor enim ne vel magis scrupea dicantur novata tralaticiis. subiectum a posterioribus adsumitur ἀπὸ κοινοῦ positum: *me iudex formae h. e. Paris animavit in carmina*. hoc hyperbaton est praepositionis cuius figurae nunc affatim exempla suppetunt⁴. *felices Musas* merito carmina dixit: *felix*⁵ enim Phrygius pastor securusque tum fuit cum *apricas* agebat *curas* rure latens ne dum *calamo laetum recinente palustri* pro laeso hospitii iure Iovis vindictam timebat; idem iudex divinae formae sedens (Drakenb. ad Sil. VII 437 sqq.) exitiosam rerum conversionem initiavit. *animavit* idem est quod *excitavit* ut Apul. flor. p. 11 Oud. *duas tibias uno flatu animavit* Apoll. Sid. ep. IX 13, 5 v. 75 *animata fila pulsu* de

¹ legit MOLLIQ. ne debitus XXXIII elementorum numerus au-geatur. hoc tamen in carmine *-que* trium litterarum numerum servat (v. 3. 5. 10. 11).

² Macrob. I 21, 9 *solem vero sub nomine Attinis ornant fistula et virga*. cf. Gruppe, Gr. M. II 1531, 4. Hes. Th. 991 Phaethontem seu Luciferum (Hygin. astr. II 42) Aurorae filium δαίμονα διόν vocat.

³ cf. Hand, Turs. II 643. 50. saepius praepositio causam indicat, v. Langen ad Val. Fl. I 63.

⁴ Verg. A. II 278. Hor. C. IV 1, 19 Prop. III 1, 4. 4, 18 Cop. 4 Pan. Mess. 114 sq. 185 Ov. Am. I 6, 68 Stat. Th. V 363 PLM. IV c. 144, 7 B. al. cf. Boldt l. c. p. 44 sqq. Leo, Cul. p. 44 sq. Gött. gel. Anz. 1897. 12 p. 964 R. Hildebrandt, Beitr. z. Erkl. d. Ged. Aetna p. 30.

⁵ ad enallagen cf. 25, 1 *ardua componunt felices carmina Musae* 22^b, 1 sqq. *metiri . . . metri felicia texta h. e. metiri felici cum eventu*.

chordis citharae Cassiod. Instit. saec. litt. 5, 6 *inflatilia sunt quae . . . in sonum vocis animantur* (Isid. Orig. III 21); Apoll. Sid. ep. VIII 9, 5 *Camenas . . . in carmina commovere temptas. — in Ida κοινόν.*

in vv. 14 sq. Wernsdorf putabat *sermonem esse de cuiusvis pastoris amica vel coniuge, quae primo mane . . . invitatur a pastore, ut secum residens carmen invicem canat fistula . . .* at in scena mythologica nec Tityro locus nec Amaryllidi relinquitur. quod cum pateat abacta rusticitate Fröhner *Lucina*¹ proposuit iungens *Eoo marito*. hanc coniecturam quominus amplectar Endymion impedit fistulator e dormitore factus. pastor ille quidem fuit si fides testibus nonnullis² sed consopitum osculari Luna solebat (Cic. Tusc. I 38, 92), παρῦπνῶντα βόεσσιν (Qu. Smyrn. X 128), et in proverbium abiit Ἐνδυμίωνος ὕπνος (schol. Apoll. Rh. IV 57). neque hoc est in promptu *Latmius heros* quo iure maritus vocetur *Eous*. Licet us Wernsdorfio teste Oenonen vicinam Paridis accepit non absurde. sed tamen *canit* praesens post praeterita (12 *animavit* 13 *gestavit*) novum aliquem mythum subiungere videtur. ut breve faciam — Venerem intellego. miraris hanc Paridis dici vicinam? ἔρπε ποτ' Ἰδαῖν, ἔρπε ποτ' Ἀρχίσην. Idaeo sub antro ludens dea cum nymphis poma legit (Prop. II 32, 39), Idaeis in pascuis Anchisen devinxit (h. in Ven. 68 sqq.), Idam testem habuit amoris (Prop. l. c. 35); in promuntorio Pyrrhae quod est Idae vicinum sacellum stabat Veneri dicatum (Strab. p. 606). Anchises igitur fistulae modis invitat deam non invitam. *canit* fistulam illa h. e. laudibus effert; ipsam enim deam calamos inflantem ne sermonis quidem consuetudo patitur. *Eoo lucis sub ortu* Venus invitatur i. e. *ex oriente novo . . . Lucifero* (A. L. 1023, 12 M.), *quem Venus ante alios astrorum diligit ignis* (Verg. A. VIII 590³) ὅς τε μάλιστα | ἔρχεται ἀγγέλλων φάος ἠοῦς ἠριγενείης (v 93 sq.). hinc et ipse Lucifer *Eous* audit⁴ et similiter Verg. G.

¹ Philol. Suppl. V 82. de Diana Lucina v. Varr. LL. V 74 Cat. 31, 13 Verg. E. 4, 10 Hor. C. III 22, 1 C. saec. 15. Prop. II 15, 15 Lunae deam (Luciferam seu Noctilucam, cf. Orelli-Hirschfelder ad Hor. C. IV 6, 37 sq.) cum Lucina confundit, cum Hecate Lucinam Lygd. 4, 13. cf. Preller-Jordan, R. M. I 321, 2 Roscher, Lex. I 1007.

² cf. Roscher l. c. I 1248 Carteri Suppl. s. v. Endymion.

³ Val. Fl. VI 527 *qualis roseis it Lucifer alis | quem Venus inlustris gaudet producere caelo.*

⁴ Cinnae Vergilio Valerio aliis; v. Forbigeri notam ad Verg. G. I 288.

I 221 *Ioas* dicit Pleiades quoniam occidunt sub oriente sole (Val. Fl. II 72). *laeti voti socia* non male syrinx praedicatur utpote qua canere soleat amatae cupidus amator. sic Hymnus pastor Nicaeam ardens σύριγγι σαόφρονος έγγύθι κούρης | μάρτυν έης δόδυνης γαμήην έμελίζετο μολπήν (Nonn. Dion. XV 302 sq.). ceterum in hymno Homerico κιθαρίζων Anchises deae cernitur (80); Porphyrius bucolicae poesis bene memor cicuticinem inducere maluit: nimirum insigne fistula pastoris *cui . . . collo | haereat* (Man. V 116) et ipsa *rustica pastoris . . . more sonans* (Cop. 10). animo poetae scena videtur obversata qualem chorus in Rhesi fabulae vv. 551—56 depingit: ήδη δέ νέμουσι κατ' Ίδαν | ποιμνια· νυκτιβρόμου | σύριγγος ιάν κατακούω· | θέλγει δ' όμματος έδραν | ύπνος· άδι-στος γάρ έβα | βλεφάροις πρός άους.

Lipsiae.

R. Hildebrandt.